DISSERTATIO
MEDICA
LUXATIONIS
SIC DICTAE
MUSCULORUM
REFUTATIONEM

SISTENS

QUAM

CONSENSU GRATIOSI MEDICO-
RUM ORDINIS

JULIUS HAUSBRAND

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR

PUBLICO BONORUM EXAMINI SUBMITTIT.

BEROLINI 1814,

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

HAS

STUDII MEDICI PRIMITIAS

IN GRATI ANIMI TESSERAM

SACRAS ESSE VULT

AUCTOR.

§. 1.

Morbis homines tot et tantis laborant, quibus rite cognoscendis vitam totam impendas, ut novis fingendis certe non opus sit. Ficta autem morbi species videtur Musculorum sic dicta luxatio vel dislocatio a Cl. Pouteau *) primum ventilata, a collectoribus vero insecutis demum, ut fit, servata et morborum agmini perperam addita, quod hacce dissertatiuncula probare conabor.

*) Claud. Pouteau vermischte Schriften von der Wundarzneikunst. Aus dem Franz. Dresden und Warschau 1764. n. XIX. Von der Verrenkung der Muskeln und derselben Einrichtung S. 379 — 412.

§. 2.

Musculum quendam relaxatum ab affinibus agentibus tanta vi comprimi, auctor statuit, ut ossis cerasini digitis pressi instar prosiliat. Hoc modo illum luxari, telam cellulosam et vascula parva disrumpi, nervos tendi et vexari, sanguinem effundi, indeque tumorem et dolorem excitari.

Exemplum a nucleo cerasino inter digitos prementes prosiliente desumtum, maximeque absonum, mittam, quis enim quaeso musculos undique revinctos cum illo libero et digitorum vi protruso serio comparabit?

Dum musculi vero certis motibus destinati agunt, antagonistae relaxati sunt, ideoque mehercle non conprimuntur, sed quieti remanent vel si contractio illorum nimia fit, extenduntur. Compressio sive contractio, sub

actione ipsa tantum locum habet, nunquam sub relaxatione. Si flexores carpi v. c. agunt, extensores relaxantur et vice versa; relaxatus vero musculus quasi collapsus est, saltem nullibi prominet neque prosilire potest. *)

§. 3.

Sed cl. vir tale quid etiam sensisse videtur, nam etiam sub *contractione validiore* (saltem majori ac vicinorum) musculum protrudi et dislocari posse statuit. Hic certe unicus foret luxationis modus, si talis unquam locum habere posset, sed ob musculo-

*) De musculis locomotivis et quidem longis tantum sermo est, ut musculos abdominis sub inspiratione ope diaphragmatis et viscerum abdominalium extrorsum ductos opponere non possis. Musculos latos luxari Cl. vir non statuit, uti mox referam.

rum omnium sedem firmatam illud quoque protinus negari debet.

§. 4.

Musculis enim corporis humani singulis quotquot sunt, attente lustratis, ne unicum quidem dari, colligerem, cujus cum partibus vicinis conjunctio absque laesione violenta tolli posset. Firmantur enim musculi primum ossibus quibus inhaerent, tum cellulosa cingente singulosque lacertos ambiente et revinciente, dein musculis oppositis, aponeurosibus tandem variis, quibus fortissime retinentur, quo tendinum bursae vaginales variaque accedunt retinacula. Sed nonnullis praeterea locis peculiaria dantur adminicula, musculis novum robur addentia motumque juvantia, quibus utpote notissimis heic exponendis locus non est. Lumbricales flexoribus profundis additos, car-

nem plantae pedis quadratam dictam, perforationem tendinum flexoriorum superficialium nec non stylohyoidei, obliqui oculi superioris trochleam et circumflexi palati directionem nominasse sufficiat, singula enim si perpendere vellem, liber conscribendus foret.

§. 5.

Ossibus itaque non luxatis neque humoribus praeternaturalibus musculos e suo loco removentibus hos a se invicem recedere vel dislocari posse non statuendum est.

De musculis latis et brevibus vel magnis et torosis Pouteau ipse, num unquam luxentur, dubitat, de tenuioribus autem v. c. tibiali antico, vel splenii colli et complexi capitibus contrarium contendit. Nullum autem musculorum tenuium huic malo obnoxium esse facile invenimus, dummodo

partium fabricam sedulo comparamus, quam immutatam cl. vir hunc in finem vix examinavit, ut musculos potius praeparatos, quos ajunt, sive ab omnibus partium vicinarum vinculis solutos prae oculis tantum habuisse videatur.

Tibialis antici caro, *) ut exemplum datum retineamus, antrorsum fascia cruris, introrsum et retrorsum tibia et ligamento interosseo, extrorsum vero extensoribus tam digitorum longo, quam pollicis proprio, nec non septo fasciae inter se et extensorem digitorum communem producto, tantopere coërcetur, ut vel de minima luxatione sermo fieri nequeat.

Soemmeringius, vir ill. de tibialis antici ortu locutus, **) hunc etiam ab ipso fascia

*) De hac tantum apud auctorem sermo est.

**) De corporis humani fabrico T. III. p. 319.

crurali et rectissime quidem derivat, nam antica et praesertim superior carnis pars aperte fasciae inserta est, neque ab eadem tantum cingitur, unde etiam sub praeparatione anatomica fasciam ablatam multae sequuntur fibrae carneae.

Splenium colli *) et complexum quod attinet, musculis undique arctissime tectos et quoad capita aliiscum partim coalitos, absque horum dilaceratione e sede sua nuspiam removeri posse, pariter in aprico est.

§. 6.

Sed argumentis hactenus a me prolatis utpote meris anatomicis, si medici practici

*) Cl. Pouteau splenium capitis et splenium colli pro ejusdem musculi partibus (l. c. p. 389) sed immerito certe habet, uterque enim distinctus est; fac vero unum esse musculum, contra nostram sententiam inde nihil sequitur.

forsan non adquiescunt, ingenia difficiliora aliis mulcebo illis forsan gravioribus visis.

Nullum itaque innotuisse casum, qui luxationem illam ob oculos posuerit, jure contendo. De sectione non loquor, qualis post morbum illum suppositum nunquam instituta est, licet ad rem conficiendam utique necessaria foret, sed de casu *) tantum sermo est talem explicationem postulante.

*) Cl. Pouteau, qui rem experientia probare vult, unicus nobis autor est. Loca in ill. quondam virorum, Swietenii et Lieutaudii scriptis occurrentia et ab illo examini subjecta, uti ipse concedit, luxationem neutiquam arguunt. Num cel. Portal, anatomicus dexterrimus, tale quid statuat (uti traditur) nos quidem fugit, quum exemplar anatomiae practicae, ab ill. viro publici juris factae, quod in bibliotheca regia servatur, infelicissimo casu tomo secundo, myologiam continente caret, neque aliud comparandum datur. Soemmeringius, anatomicus acutissimus, de musculorum morbis agens (l. c.

§. 7.

Auctor se plures quidem observasse refert ejusmodi luxationes, quarum tamen circumstantiae variae sibi exciderint quare insequentem tantum casum, recens observatum, instar omnium, exhibet.

Puella quatuordecim annos nata, per fenestram spectans, ut cum quodam in tabulato super eam stante loqueretur, caput vi quadam retrorsum et dextrorsum vertebat. Quo facto subito in dextri lateris media summaque colli parte dolorem acerbum et fortem strepitum sensit. Caput contra humerum sinistrum deorsum inclinatum mox contra humerum dextrum ferebatur, neque a puella

p. 56) luxationem illam Pouteauanam non refert. Referunt quidem auctores novissimi, anatomiam pathologicam tractantes, sed nonnisi cl. Pouteau observationibus innixi, cujus hypothesis a me, quod sciam, primo examini subjicitur.

elevari potuit, quae doloribus summis vexata decem per horas quietis expers agitabatur.

Cl. Pouteau accersitus luxationem et quidem illam musculorum adesse supponendo (qua de re mox plura) collum examinavit, sed qua puella dolorem et strepitum observaverat, quoad mollitiem et mobilitatem partium discrimen nullum reperit. Frictionem ope manus et globuli lignei instituit, quo dolores, licet illa cautissime fiebat, tantopere increverunt, ut aegra syncope corriperetur. Qua cessante caput erigi et ad utrumque latus flecti potuit, neque puella nisi idem ad latus affectum vertendo ingrati quid sensit, cui malo lana pinguis applicata medebatur. Somnus mox insecutus est, octoque horis elapsis cum medicus aegram reviseret, non nisi dolorem aliquem in latere opposito indicavit. Partes antea maxime do-

lentes vi quadam pressae non amplius dolebant, ut sensus inde excitatus grati quid potius proderet.

§. 8.

Historiam a cl. Pouteau relatam in paragrapho praecedente nudam et absque hypothesibus immixtis, quas nunc sigillatim perpendam, tradidi.

Primum quod attinet, luxationem musculi vel musculorum hoc in casu adfuisse nulla quidem re arguitur. Cl. vir ex immobilitate colli et strepitu colligit, sed musculi spasmo tonico affecti saepe partem immobilem reddunt, neque idcirco de luxatione cogitandum est, quod trismus et tetanus abunde probant, et sub violenta colli aliusve partis contorsione hujus non raro dolor atrocissimus cum immobilitate oritur, sed plerumque cito dissipatur. Sensus doloris fere idem est ac ille ex fortiori concussione ele-

ctrica et oscillatio quaedam aliquantisper remanet aperte spasmodica.

Strepitum a puella observari creditum non magni facio, sub ipsa enim luxatione supposita fasciculi splenii vel alterius musculi, partis nimirum mollis mollibus obvolutae partibus, stridor nullus oriri potuisset, neque sub spasmo oritur, sed vel collo male adfecto auris in consensum tracta, quemadmodum susurrus tinnitusque aurium aliaeque organorum sensuum affectiones sub spasmis variis observantur, vel alius aegrotae error subfuit, quem dolor talis acutissimus in puella sensibili facile excitare potuit.

§. 9.

Ulterior cl. viri explicatio valde confusa et simul arbitraria est. Quando caput cum collo ad alterum latus flexum vi quadam ad latus oppositum et simul retrorsum agitur, tum certe de splenio solo sermo fieri

non

non debet, sed praeter utrumque splenium (capitis et colli) biventricus cervicis et complexus, trachelomastoideus, transversus cervicis, cervicalis descendens, semispinalis colli, interspinales et intertransversarii colli, recti postici et obliqui capitis tam majores, quam minores, nec non trapezius et levator anguli scapulae in computum veniunt.

Auctor praeterea digitorum exploratione nil invenire potuit, quod luxationem proderet, quam immerito supposuit et aeque arbitrario spleniis tribuit, quibus motus supra expositus ad exiguam tantum partem debebatur.

Collo antea sinistrorsum ducto splenium colli sinistrum contractum recte ponit, jam vero splenio dextro subito collum dextrorsum ducente, illum relaxatione subitanea laxatum hallucinatur, quod risum movet, cum aegrota in dextro colli latere dolorem senti-

ret, quemadmodum simili modo affecti semper de latere violenter contorto neque de opposito conqueruntur, mali itaque sedes (et luxatio putativa) non in sinistro sed in dextro latere assumenda fuisset. Qualis quaeso luxatio dicenda cujus dolor in opposito habetur latere? Qualis porro immobilitas colli ex splenii alterius lateris relaxatione? Quibus vero erroribus ab auctore commissis reliqua historiae pars valde obscura fit, nec quonam de latere tandem sermo fit, ubique constat nam in sequentibus dolor sinistro tribuitur latere. *)

§. 10.

Quanam autem re malum dictum subla-

*) Cum versio operis germanica tantum ad manus sit, num illi error iste tribuendus sit me fugit, ceteri autem lapsus a versione non pendentes illum etiam auctoris esse, non immerito arguere videntur.

tum dicamus? Hoc, ut saepe quidem fit variam admittit explicationem. Plerumque spasmus talis sponte remittit, alias frictio lenis iterataque convenit, qua nervi et musculi mulcentur. Cl. vir se latus colli sinistrum ope manus et globuli lignei caute fricuisse refert, quo tamen dolores ita effervere, ut animi deliquium secutum sit, quo cessante collum iterum mobile fuit. Auctor frictioni repositionem musculi luxati tribuit, quod omnino rejiciendum est, qui enim frictio sola luxationem tolleret fasciculorum musculi tantopere reconditi, neque frictione vix ullo modo mutandi? Rem vero optime explicare videtur animi deliquium, utpote cujus beneficio musculorum colli dextrorum spasmus sublatus est, malumque cessavit.

§. 11.

Luxatio in casu dicto si adfuisset vel extravasatum sanguineum vel tumorem sal-

tem notabilem per aliquod tempus perseverantem observassent, non observarunt autem, quo minus alia de re quam de spasmo suspicio oriri possit.

Dislocationem splenii musculi tantopere abditi ob sanguinis vel lymphae effusionem, nervorumque tensionem ipsemet pro malo gravissimo forsanque incurabili haberem. Talis autem, uti supra exposui, tam splenii quam aliorum musculorum indoles, ut hac de labe nunquam cogitandum sit.

THESES

QUAS CONSENSU

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

BEROLINENSIS

AD

GRADUS DOCTORIS

MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ATQUE LEGITIME CAPESSENDOS

PUBLICE DEFENDIT

DIE II. MAJI ANNO MDCCCXII.

JULIUS HAUSBRAND

FROHSA - ANHALTINUS.

1.

Multi morbi etsi vesaniae annumerari nequeunt, tamen methodo medendi psychica sanari possunt.

2.

Grave discrimen inter morbos epidemicos et contagiosos constituendum est.

3.

Medicamina chemico modo non agunt.

4.

Frigus medicaminibus debilitantibus omnino annumerandum.

5.

Siderum vires in corpora organica negari nequeunt.

6.

Ars obstetricia omnium medicinae partium maxima gaudet certudine.